DIODORUM SICULUM

PRAECEPTORIS SUPERIORUM ORDINUM MUNUS

IN

GYMNASIO SERVESTANO

AUSPICATURUS

SCRIPSIT

CAROLUS SINTENIS

SEMINAR. REG. PHILOL. LIPS. ET SOCIET. GRAEC. NUPER SENIOR.

SERVESTAE MDCCCXXIX.

IN COMM. APUD G. A. KUMMER.

VIRIS

SUMME REVERENDIS EXCELLENTISSIMIS
AMPLISSIMIS

GYMNASII SERVESTANI

EPHORIS GRAVISSIMIS

D. D. D.

AUCTOR.

Quod VOBIS has observationes inscribere ausus sum, non factum est eo, quod VESTRA auctoritate dignas censerem res meas, sed ut gratum meum VOBIS testarer animum. Nam qui plures per annos studia mea adjuvistis multis modis, iidem VOS quod cumulo augentes VESTRA beneficia auctores fuistis, ut praeceptoris superiorum ordinum dignitas atque honor

in me conferretur, fecistis quod et gratissimum mihi et valde esset honorificum. Quare etsi intelligebam, nihil me habere, quod VOBIS dignum esset, tamen eo magis volui publicum aliquod gratissimi animi edere documentum, quo certius VESTRA in humanitate ac benevolentia rerum mearum positum viderem praesidium. Hoc igitur animo ut huncce libellum excipiatis, etiam atque etiam VOS volo rogatos. Valete.

Qui diu neglectus jacuit Diodorus Siculus, scriptor nequaquam contemnendus, ei nuper demum altis tecto tenebris salubris affulsit lux egregia Ludovici Dindorfii opera. Qui vir linguae graecae peritissimus ac sagacitate et acumine excellens ante plurimos tantum contulit ad emendandos Diodori libros, quantum post Rhodomannum et Wesselingium qui praestiterit scio neminem. Nam qui unus praeter hos novam conditurus erat recensionem, Eichstadius, operi incepto finem non imposuit, egregie ille adjutus a Schaefero, qui non ὀρθογραφικῶς [1]) tantum meritus est de hac editione. Dindorfius autem, ut ad eum revertar, missis longis verborum ambagibus ad explicationem scriptoris raro aut nunquam devertit: emendationes suas plerumque verbo commemorasse, qui est mos hujus temporis philologorum, satis habuit. Quam rationem ego magni viri commendatam exemplo minime reprehendo, bene sciens, etiamsi reprehenderem neminem id curaturum. Spero tamen in majori editione, quam audio nunc ipsum cum maxime parari, paulo verbosiorem fore Dindorfium, idque eo magis cupio, quo magis ejus disputationibus delector.

Priusquam autem ad rem ipsam accedo, illud mihi video faciendum esse, ut dicam qua de causa Diodorum potissimum neque alium elegerim, de quo disputarem, scriptorem. Nam cum Thucydidem et Plutarchum ex graecis scriptoribus discipulis meis enarraturus sim et in Plutarchi Themistocle a me nuper edito multa me in promptu habere significaverim, quae luce non indigna viderentur, quaerentes audio cur talem nunc in scriptorem inciderim, qui neque optime audiat apud plurimos et a schola alienus sit, cum paratior multo atque aptior futura esset disputatio ea, qua de rebus ad scriptores modo memoratos proxime pertinentibus dissererem eaque re discipulis meis aliquam exhiberem εἰςαγωγήν. Ad hos quae respondeam habeo haec. Cum qui apud nos res

1) v. Schaeferus ad Choeril. Naekii in append. p. 274. et ad Demosth. T. V. p. 617.

scholasticas curant praeceptoris superiorum ordinum munus in me conferre voluerint, meum esse arbitratus sum, ut gratum animum aliquo testarer documento. Constitui igitur aliquid critico de genere conscribere, nam idonea εἰςαγωγῇ ne sic quidem carebunt alumni disciplinae meae commissi. Cum autem circumspicerem, unde desumerem materiem, plura sese obtulere argumenta. Aderant Thucydidea, Xenophontea, Plutarchea, multa praebuit scriptor quem inprimis diligo Arrianus, plura Diodorus, alia alii. Et Thucydidea quidem veritus ne aliquid proferrem, quod non satis perpensum esset, propter ipsam hominis auctoritatem seposui; de Plutarcho dicetur ubi ad illa studia reverti licuerit: reliquis scriptoribus praetuli Diodorum, quoniam ab ejus lectione recentior eram. Nec deterreri me passus sum eo ab hoc consilio, quod inter bonos scriptores nullus vulgo locus conceditur Diodoro; namsuas profecto nec paucas illas atque exiguas habet virtutes. Atque cum criticam aliquam ἐπίδειξιν exhibere molirer, ne debebam quidem anxie sollicitus esse de scriptore, nam „ut medici officium est, nobiles juxta atque ignobiles, divites et pauperes, optimum quemque et pessimum curare; sic etiam critici est, quoquo vocetur, non gravate opitulatum ire, nec qui sit, quem curare jubeatur, sed an opis sit indigens quaerere [2]."

Diodori scripta cum foede corrupta ad nostra tempora pervenerint ac non exigua corruptelarum pars etiam post Dindorfium relicta sit (neque enim unius est profligare omnia), ego ubi mendum deprehendisse mihi viderer interdum non dubitavi aliquid audere. Nonnullis in locis non leviter in sententia mea confirmatus sum eo, quod assensum tuli ejus viri, cui qui sapiunt principatum in his literis tribuunt omnes quemque ego dici non potest quantopere colam atque diligam. Hermanno igitur, patet enim eum a me significari, pars mearum conjecturarum haud displicuit; aliis in locis veriora me docuit vir summus, cujus quod disciplina atque amicitia plures per annos frui mihi concessum erat, summum puto atque felicissimum omnium quae mihi contigerunt. Sed vereor ne de Hermanno narrare incipiens obliviscar Diodori, quare ab illo, cui omnia debeo, transeo ad hunc, cui an opis quid ferre possim jam experiar.

Libr. XI. c. 15. Narraverat suasisse Themistoclem ducibus Graeciae, qui ad deliberandum convenissent, ad Salamina pugnae periculum subire, plurimum enim commodi ex locorum angustiis ad ipsos esse redundaturum. Quibus diu reluctatis tandem persua-

---

2) sunt verba Hermanni Emend. Coluth. p. 4 seq.

sit. Jam pergit c. 16. in.: *Τέλος δὲ κοινοῦ δόγματος γενομένου περὶ Σαλαμῖνα ναυμαχεῖν οἱ μὲν Ἕλληνες παρεσκευάζοντο τὰ πρὸς τοὺς Πέρσας καὶ πρὸς τὸν κίνδυνον· ὁ δ' οὖν Εὐριβιάδης παραλαβὼν τὸν Θεμιστοκλέα παρακαλεῖν ἐπεχείρει τὰ πλήθη καὶ προτρέπεσθαι πρὸς τὸν ἐπιφερόμενον κίνδυνον. Οὐ μὴν τὸ πλῆθος ὑπήκουεν, ἀλλὰ πάντων καταπεπληγμένων τὸ μέγεθος τῶν Περσικῶν δυνάμεων οὐδεὶς προσεῖχε τοῖς ἡγεμόσιν, ἀλλ' ἕκαστος ἐκ τῆς Σαλαμῖνος ἐκπλεῖν ἔσπευδεν εἰς τὴν Πελοπόννησον.* Narrantur ergo Graeci parasse quae ad rem pertinerent: atqui statim post iidem dicuntur quam maxime huic consilio obstitisse nec voluisse pugnare eo loco, ut illud quidem appareat, nimis late nec satis recte dictum esse *Ἕλληνες*. Quare corruptum puto hoc vocabulum, neque enim ipsum inepte conformatae orationis auctorem habeo Diodorum. Quod si, uti spero, concedatur, non difficile erit indagare, quid eius loco ut recte atque ordine procedat sententia, sit restituendum; monstrat enim cum res ipsa, tum quae sequuntur verba *οὐδεὶς προσεῖχε τοῖς ἡγεμόσιν*, maxime vero capite praecedenti verba *τοὺς ἐφ' ἡγεμονίᾳ τεταγμένους*, pro *Ἕλληνες* scribendum esse *ἡγεμόνες*, qua emendatione iustae verborum oppositioni aeque ac sensui consulitur.

Libr. XI. c. 33. Vulgo leguntur haec: *οἱ δ' Ἕλληνες ἐκ τῶν λαφύρων δεκάτην ἐξελόμενοι κατεσκεύασαν χρυσοῦν τρίποδα καὶ ἀνέθηκαν εἰς Δελφοὺς ἐπιγράψαντες ἐλεγεῖον τόδε·*

Ἑλλάδος εὐρυχόρου σωτῆρες τόνδ' ἀνέθηκαν
δουλοσύνης στυγερᾶς ῥυσάμενοι πόλιας.

ἐπέγραψαν δὲ καὶ τοῖς ἐν Θερμοπύλαις ἀποθανοῦσι Λακεδαιμονίοις κοινῇ μὲν ἅπασι τόδε·

μυριάσιν ποτὲ τῇδε διακοσίαις ἐμάχοντο
ἐκ Πελοποννήσου χιλιάδες τέτορες.

ἰδίᾳ δὲ αὐτοῖς τόδε·

ὦ ξεῖν' ἄγγειλον Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
κείμεθα τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις.

Ad quem locum quae annotavit Dindorfius transscribam integra. „Illud *αὐτοῖς*, inquit, nihil habet quo referatur quam ipsum *Λακεδαιμονίοις*, abs quibus tamen distinguuntur illi *αὐτοὶ* tanquam ab genere species. Enimvero ut nunc haec scribun-

tur sententiam habent ineptissimam et hunc in modum corrigendam: *ἐπέγραψαν δὲ καὶ τοῖς ἐν Θερμοπύλαις ἀποθανοῦσι κοινῇ μὲν ἅπασι τόδε·*

μυριάσιν ποτὲ τῇδε διακοσίαις ἐμάχοντο
ἐκ Πελοποννάσου χιλιάδες τέτορες.

ἰδίᾳ δὲ τοῖς Λακεδαιμονίοις τόδε etc. Herodotus VII. 228. *θαφθεῖσι δέ σφι αὐτοῦ ταύτῃ τῇπερ ἔπεσον καὶ τοῖσι πρότερον τελευτήσασι ἢ τοὺς ὑπὸ Λεωνίδεω ἀποπεμφθέντας οἴχεσθαι ἐπιγέγραπται γράμματα λέγοντα τάδε*

μυριάσιν ποτὲ τῇδε τριηκοσίαις ἐμάχοντο
ἐκ Πελοποννήσου χιλιάδες τέτορες.

ταῦτα μὲν δὴ τοῖσι πᾶσι ἐπιγέγραπται, τοῖσι δὲ Σπαρτιήτῃσι ἰδίῃ,

ὦ ξεῖν' ἀγγέλλειν Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε
κείμεθα τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι.

Λακεδαιμονίοισι μὲν δὴ τοῦτο."

Recte haec atque acute sunt disputata, ita ut de vitio loci non liceat dubitare: illud quoque concedendum est, recte de sententia loci virum doctum praecepisse, magis vereor ne tam violenta medicina adhiberi non possit, praesertim cum alia ratio, multo illa lenior atque facilior in promptu esse videatur, qua loco succuratur. Possunt enim minore ac paene nulla correctione haec ita restitui: *ἐπέγραψαν δὲ καὶ τοῖς ἐν Θερμοπύλαις ἀποθανοῦσι Λακεδαιμόνιοι κοινῇ μὲν ἅπασι τόδε·*

μυριάσιν ποτὲ τῇδε διακοσίαις ἐμάχοντο
ἐκ Πελοποννάσου χιλιάδες τέτορες.

ἰδίᾳ δὲ αὑτοῖς τόδε etc. ut nihil amplius mutetur quam *Λακεδαιμονίοις* in *Λακεδαιμόνιοι* et *αὐτοῖς* correcto spiritu in *αὑτοῖς*.

c. 36 med. *οἱ μὲν περὶ τὸν Λεωτυχίδην καὶ Ξάνθιππον ἐπικείμενοι τοῖς ἡττημένοις κατεδίωξαν τοὺς βαρβάρους*: sic ex duobus codd. et Stephani margine post Rhodomannum ediderunt interpretes. Vulgo legebatur *ἡττωμένοις*, quod etsi hic quidem non tuebor, cum alterum librorum commendetur auctoritate, utar tamen hac occasione, ut de usu quodam huius verbi moneam, qui non satis cognitus videtur plerisque. Nimirum proprius ac singularis verbi *ἡττᾶσθαι* usus est is, quo non solum vinci significat,

sed etiam victum aliquem esse denotat. Eodem prorsus modo verbum *νικᾶν* in praesenti habet vim perfecti, qua de re monuit Krueger. ad Xenoph. Anab. p. 83. cf. Plut. Demetr. c. 17. fin. ubi is, qui victoriae nuncium affert, *χαῖρε*, inquit, *βασιλεῦ Ἀντίγονε, νικῶμεν Πτολεμαῖον ναυμαχίᾳ*. Nec mirus hic usus videbitur ei, qui reputaverit, re vera praesentis notionem inesse, nam *ἡττώμενος* nihil est aliud quam *ἥττων ὢν τινος*. cf. Thucyd. VII. 34. *οἱ — Ἀθηναῖοι ἐνόμιζον ἡσσᾶσθαι, ὅτε οὐ πολὺ ἐνίκων*. Plut. Apophth. p. 199. C. *νικῶντας μὲν γὰρ ἀποδώσειν οὐ παρ' αὐτῶν, ἀλλὰ παρὰ τῶν πολεμίων· ἡττωμένων δὲ μήτε τοὺς ἀπῃτουμένους μήτε τοὺς ἀπαιτοῦντας ἔσεσθαι*, quam eandem rem narrans in Cat. maj. c. 5. utitur perfecto *ἡττημένων*. Huius usus quod immemores essent interpretes multos locos citra necessitatem tentarunt. Ita in Plut. Comp. Nic. c. Crass. c. 4. inde ab Reiskio editum est *Καίσαρα — συνεβούλευεν ὁ Κάτων ἐκδοῦναι τοῖς ἡττημένοις*: repone *ἡττωμένοις*. Diodor. XV. c. 80. in. *περὶ δὲ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς Θετταλοὶ πρὸς Ἀλέξανδρον τὸν Φερῶν τύραννον διαπολεμοῦντες καὶ πλείοσι μάχαις ἡττώμενοι, πολλοὺς δὲ τῶν στρατιωτῶν ἀπολελοκότες, πρέσβεις ἀπέστειλαν*, ubi non opus puto quod maluit Dindorfius *ἡττημένοι*, nec magis probo quod eiusdem libri c. 81. ex Schaeferi correctione scripsit *πρὸς ἅπαντας ἔφασαν ἑαυτοὺς ἡττῆσθαι* pro vulg. *ἡττᾶσθαι*. Contra XVII. 34. fin. *προηττημένων γὰρ τῶν ἱππέων οἱονεί τις προαγὼν ἐγεγόνει τῆς ὅλης νίκης* propter plusquamperf. *ἐγεγόνει* non potuit dici *προηττωμένων*.

c. 56 med. *διὰ τῆς τῶν νεανίσκων εὐνοίας τε καὶ κακοπάθειας κατήντησεν εἰς τὴν Ἀσίαν*. Narratur Themistocles adiutus duorum iuvenum assidua opera ad Persarum regem iter fecisse. Quibus in verbis quod Dindorfius *κακοπάθειας* mutatum in *συμπάθειας* aptius putabat, in eo ego non adsentior, cum *κακοπ.* percommodam admittat explicationem. Nimirum iuvenes isti nullas detrectarunt molestias neque dubitarunt omnem quemque pro eo suscipere laborem. Ceterum quod ego scribi malim *διὰ τὰς τ. ν. εὐνοίας τε καὶ κακοπάθειας* non mirabitur Diodori loquendi generi adsuetus, qui permultis utitur vocabulis in plurali numero, quorum singularis tantum aliis in usu est scriptoribus: hic quidem quo sensus discrimine utrumque dicatur sponte patet. Atque hoc ipsum in causa videtur fuisse, ob quam vir doctissimus in his verbis offendit; *εὔνοια* in plurali, ut duobus locis defungar, dixit XI. 41. XIII. 93. Altero voc. in plurali utitur XIII. 52. Ceterum ut hoc quoque utar contra Dindorfium, voc. *κακοπάθεια* etiam alibi Diodorus de laboribus et molestiis, quae iter facientibus sub-

eundae sunt, est usus, ita XIV. 28.: *ἕκαστος γὰρ τὴν ἐκ τῆς ὁδοιπορίας κακοπάθειαν ὑπομένειν ἀδυνατῶν* etc. all.

Lib. XII. c. 42. Belli Peloponnesiaci tempore constat Lacedaemonios in Atticam incursiones fecisse agrosque Atheniensium devastasse. Quod cum primum fieret Athenienses perterriti iraque concitati Periclem vituperarunt, quod obsisteret quominus ex muris egressi vi hostes repellerent. Ac Pericles quidem id effecturus, ut et hostes arceret et vero simul civium saluti consuleret classem parat parataque Lacedaemoniorum terram mari adiacentem iubet vastare [3]), quo illi perterriti extemplo exercitum ex Attica reducunt. Hic cum sit loci nexus Diodorus utitur his verbis: *διὸ καὶ τὴν ἐκ τῆς Ἀττικῆς δύναμιν ταχέως μεταπεμψάμενοι πολλὴν ἀσφάλειαν τοῖς Πελοποννησίοις παρείχοντο*: ex quibus me non satis expedio propter sequentia. Necessario enim hic tradi debet, quinam fructus ex illa navium expeditione ad Athenienses redierint, quod autem vulgo legitur *πολλ. ἀσφ. τ. Πελοπ. παρ.* habet etiam per se aliquid incommodi. Nimirum hic dicendum erat praestitisse Periclem quod spoponderat, se *ἄνευ κινδύνων ἐκβαλεῖν τοὺς Λακεδαιμονίους*. Nec vereor ne quis mihi obiiciat, haec dici verbis *τούτῳ δὲ τῷ τρόπῳ* etc., ea enim omnem excipiunt orationem. Gravissimum autem argumentum, ob quod illa verba stare nequeunt, hoc est, quod sic quidem omnis res falsa esset et prorsus sibi met ipse contradiceret Diodorus. Hic enim dicit Lacedaemonios discessisse ex Attica eaque re effecisse, ut Peloponnesios tutos praestarent ab Atheniensibus, mox autem initio capitis sequentis narrat contrarium his verbis: *ὁ τῶν Ἀθηναίων στρατηγὸς οὐ διέλιπε τὴν μὲν χώραν τῶν Πελοποννησίων λεηλατῶν καὶ καταφθείρων, τὰ δὲ φρούρια πολιορκῶν· προσγενομένων δὲ αὐτῷ πεντήκοντα τριήρων ἐκ τῆς Κερκύρας, πολὺ μᾶλλον ἐπόρθει καὶ τὰς ἐπαύλεις ἐνεπύριζε* etc. cf. Thucyd. II. 25. Quare ego quidem exspectabam potius *τοῖς Ἀθηναίοις παρεῖχον*, quo secum consentiret Diodorus. De qua suspicione cum olim disputarem coram Hermanno, in re ipsa quidem ille non videbatur dissentire, verisimilius tamen putabat scripsisse Diodorum *τοῖς πολεμίοις* pro *τοῖς Πελοποννησίοις*, quod omnino propter palaeographicas rationes multo est credibilius. Si cui vel haec iusto maior videatur mutatio, is evolvat variantium conspectum lectionum in Diodori libris multoque graviora huius generis videbit commissa.

c 47. p. in. *ἐπόρθησε τὴν χώραν καὶ τὰς κατὰ ταύτην κτήσεις ἐλυμήνατο*: Dindorfius corrigit *κατ᾽ αὐτήν*, quae sane multo usitatior est dicendi ratio. Neque tamen

3) duce Carcino, cuius nomen ap. Diodorum male scribitur *Καρκίνος*: scr. *Καρκῖνος*, cf. Thucyd. II. 23.

opus est mutatione: nam cum ab aliis scriptoribus οὗτος interdum additum reperitur, ubi vel omitti poterat, vel severior usus postulabat αὐτὸς, tum vero familiaris est haec dicendi ratio Diodoro, cf. XI, 86. Ἀθηναίοις καὶ Πελοποννησίοις πενταετεῖς ἐγένοντο σπονδαί, Κίμωνος τοῦ Ἀθηναίου συνθεμένου ταύτας: et sic c. 89. XV. 51. et 85. etc. Xenoph. Anabas. I. 6. 9. συμβουλεύω ἐγὼ τὸν ἄνδρα τοῦτον ἐκποδὼν ποιεῖσθαι ὡς τάχιστα, ὡς μηκέτι δέῃ τοῦτον φυλάττεσθαι: cl. Blum. ad Lycurg. Leocrat. p. 60.

c. 66. οἱ δὲ στρατηγοὶ Ἱπποκράτης μὲν καὶ Δημοσθένης συνθέμενοι περὶ τῆς προδοσίας, ἐξέπεμψαν νυκτὸς στρατιώτας ἑξακοσίους εἰς τὴν πόλιν, καὶ οἱ συνθέμενοι παρεδέξαντο τοὺς Ἀθηναίους ἐντὸς τειχῶν· καταφανοῦς δὲ τῆς προδοσίας γενομένης — particula μὲν non habet quo referatur et per se etiam non apta est, quare delenda videtur. Apta esset post ἐξέπεμψαν transposita. — Simili modo male se habet particula δὲ c. 73. fin. καταστρατοπεδεύσας δὲ πλησίον πόλεως Ἠϊόνος, ἀπεχούσης δὲ ἀπὸ τῆς Ἀμφιπόλεως σταδίους ὡς τριάκοντα, προσβολὰς ἐποιεῖτο τῷ πολίσματι: quam ita positam ferri non posse manifestum est, quare vel delenda erit, vel nonnulla excidisse indicio est.

XIII. 6. αὐλιζομένους ἀπὸ τῶν ὅπλων — scr.: ἄπο, et ita scribendum ap. Thucyd. VI. 61. pro vulg. τοὺς Ἀθηναίου αὐλίζεσθαι ἀπὸ τῶν ὅπλων.

c. 83. Postquam in universum de felcitate terrae Agrigentinae narravit opesque maximas praedicavit, de unius viri divitiis opibusque immensis exponit; quod dum facit cum aliis utitur argumentis, tum eo, quod hiemis tempore aliquando quingentos ex Gela urbe equites exceperit, his usus verbis: καὶ δή ποτε πεντακοσίων ἱππέων παραγενομένων ἐκ Γέλας χειμερίου περιστάσεως οὔσης, καθάπερ φησὶ Τίμαιος ἐν τῇ πεντεκαιδεκάτῃ βίβλῳ, πάντας αὐτοὺς ὑπεδέξατο, in quibus etsi nihil inest, quod sensum turbet, multo tamen aptius pro αὐτοὺς, quod satis abundanter additum est, scripseris αὐτός. Eo enim sententia loci egregie adjuvatur: hos omnes tam multos solus ille vir excepit.

c. 94. τὰ δὲ περὶ τῶν προδοτῶν ἐν ἐκκλησίᾳ βουλεύεσθαι, τῶν γὰρ ἐνεστώτων καιρῶν ἀλλότριον εἶναι: haec non integra sunt sed manca; quasi enim nunc quae geruntur non gerantur in concione. Atqui modo dixit: τῇ δ' ὑστεραίᾳ συναχθείσης ἐκκλησίας etc., ut apertum sit, haec quoque agi in concione. Inde manifestum est aliquid excidisse; Diodorum suspicor scripsisse ἐν ἄλλῃ ἐκκλησίᾳ, quod cum omnis nexus, tum vero commendant sequentia. Et id ipsum expressit Rhodomannus, sive codd.

secutus, sive suo assecutus ingenio, vertens: de proditoribus in alia deinceps concione disquirendum, cum id a praesenti tractatione alienum videatur.

c. 97. *οἱ δ' Ἀθηναῖοι τὸν μὲν κατάπλουν τῶν πολεμίων εὐθέως ἔγνωσαν, οὐ μακρὰν ὁρμοῦντες· διὰ δὲ τὸ μέγεθος τῶν πνευμάτων τὸ μὲν ναυμαχεῖν ἀπέγνωσαν, εἰς δὲ τὴν ἐχομένην ἡμέραν ἡτοιμάζοντο τὰ πρὸς τὴν ναυμαχίαν, τὸ αὐτὸ ποιούντων καὶ τῶν Λακεδαιμονίων, καίπερ ἀμφοτέροις ἀπαγορευόντων τῶν μάντεων.* Sermo est de tempore pugnae ad Arginusas, quam Lacedaemonii et Athenienses iam commissuri sunt. Verba non recte se habent: qualis enim haec oppositio: *τὸ μὲν ναυμαχεῖν ἀπέγνωσαν, εἰς δὲ τὴν ἐχομένην ἡμέραν ἡτοιμάζοντο τὰ πρὸς τ. ναυμ.*? neque enim omnino pugnandi consilium abiecerant, sed eo tantum die propter ventorum impetum pugnae periculum subire noluerunt, ut mihi quidem non sit dubium quin Diodorus scripserit *τότε μὲν ναυμ.*, quibus respondent vv. *εἰς δὲ τὴν ἐχομένην ἡμέραν.* Articulum quem plerumque ad *ἀπογιγνώσκειν* addit Diodorus, ne quis requirat vid. XX. 110. *πεζῇ μὲν ἀπέγνω τὴν εἰς Θεσσαλίαν ποιεῖσθαι πορείαν.* cl. Arrian. Exped. Alex. II. 20. *ταῦτα ὁρῶντες οἱ Τύριοι ναυμαχεῖν μὲν ἀπέγνωσαν.*

XIV. 2. *ἐν μὲν γὰρ ταῖς πρὸ ταύτης βίβλοις ἀνεγράψαμεν τὰς ἀπὸ Τροίας ἁλώσεως πράξεις ὡς ἐπὶ τὴν κατάλυσιν τοῦ τε Πελοποννησιακοῦ πολέμου καὶ τῆς Ἀθηναίων ἡγεμονίας*: miror patienter tulisse interpretes ineptum istud *ὡς*, quod mutandum erat in *ἕως*, cf. XII. 2. fin. *ἐν ταύτῃ (τῇ βίβλῳ) δὲ ἀπὸ τῆς Ἀθηναίων στρατείας ἐπὶ Κύπρον ποιησάμενοι διέξιμεν ἕως ἐπὶ τὸν ψηφισθέντα πόλεμον* etc. XIII. 1. *ἀνεγράψαμεν τὰς ἀπὸ τῶν Τρωικῶν πράξεις ἕως εἰς τὸν ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ψηφισθέντα πόλεμον ἐπὶ Συρακοσίους.* et XX. 2.

c. 21. sub fin. Cyrus expeditionem contra fratrem faciens concione convocata militibus, qui inscii ad eum diem quo iter tenderet secuti erant, expeditionis consilium et finem exponit: atque his quidem rei magnitudine perterritis non admodum placuisse dicit Diodorus, quare Cyrus *ἐδεῖτο πάντων μὴ καταλιπεῖν ἑαυτόν, ἐπαγγελλόμενος ἄλλας τε μεγάλας δωρεάς, καὶ ὅτι παραγενόμενος αὐτὸς εἰς Βαβυλῶνα κατ' ἄνδρα ἕκαστον δώσει πέντε μνᾶς ἀργυρίου*: constat pronomini *αὐτὸς* in nominativo casu ibi tantum locum esse, ubi cum vi quadam et oppositione graviori subiectum profertur: et hoc quidem ab hoc loco prorsus alienum est; *παραγενόμενος* in nominativo ferrem, additum ei *αὐτὸς* non ferendum puto, quare aut fallor aut scripsit Diodorus: *παραγενο-*

μένοις αὐτοῖς. De re cf. Xen. Anab. I. 4. 13. *ὁ* (Cyrus) *δ' ὑπέσχετο ἀνδρὶ ἑκάστῳ δώσειν πέντε ἀργυρίου μνᾶς, ἐπὰν εἰς Βαβυλῶνα ἥκωσι.*

c. 93. Narrat populum Romanum poculum paravisse, quod in templum Delphicum mitteretur. Sed qui missi sunt ut hoc negotium exsequerentur a piratis capti et in Liparam insulam sunt abducti, qua de re utitur his verbis: *πάντες αἰχμαλωτισθέντες κατήντησαν εἰς Λιπάραν:* quae scio fuisse quibus recte dicta viderentur. Me tamen etiam nunc mirum habet voc. *καταντᾶν*, quod parum aptum ac fortasse ne sanum quidem existimo. Frequens quidem et creber adnodum huius verbi est usus ap. Diodorum, nusquam tamen ita positum vidi, dictum ut esset de eo, qui aliorum iussu ac voluntate abducitur, sed ubique de eo, qui sponte sua nulla necessitate coactus, aliquo proficiscitur, cf. XV. 2. 62. 67. 71. all. Quae cum ita sint videndum ne Diodorus pro *κατήντησαν* potius scripserit *κατήχθησαν*.

c. 103. *μετὰ πλείστης δυνάμεως ὥρμησεν ἀπὸ Συρακουσῶν· εἶχε δὲ πεζοὺς μὲν πλείους τῶν δισμυρίων, ἱππεῖς δὲ περὶ τρισχιλίους, ναῦς δὲ μακρὰς μὲν τεσσαράκοντα, τὰς δὲ τὸν σῖτον κομιζούσας οὐκ ἐλάττους τριακοσίων.* Dicitur Dionysius maximis copiis expeditionem in Italiam fecisse, secum ducens plus quam XX millia peditum, ter mille equites et quadraginta naves longas. Et is quidem navium numerus iusto minor est, nisi fallor. Cui enim credibile est, Dionysium, qui ut viam sibi in Italiam pararet contra solos Rheginos 120 naves eduxerat (vid. c. 100.), ad ipsam illam, quam tanto studio paravit expeditionem Italicam quadraginta tantum naves longas adhibuisse, quamquam multo plures habebat? Siciliotas certe Carthaginiensibus subiectos 300 navibus bello persecutus dicitur XV. 73. Nec contemnendae erant maritimae Italorum copiae cf. c. 100. Excidit igitur, ut videtur, altera pars numeri, quem credibile est fuisse *ἑκατὸν τεσσαράκοντα*, nisi, quod suspicor, etiam maior fuit.

c. 110. fin. *καὶ ὁ μὲν βασιλεὺς διαλυθεὶς τῆς πρὸς τοὺς Ἕλληνας διαφορᾶς παρεσκευάζετο τὰς δυνάμεις εἰς τὸν Κυπριακὸν πόλεμον:* haec constructio verbi *διαλύεσθαι* insolentior visa est Dindorfio, qui re, „huic casui, inquit, congruet *ἀπολυθεὶς*, sed *διαλυθεὶς* requirere *τὴν διαφορὰν* seu *τὰς διαφορὰς* existimo." Mihi quoque olim locus emendatione videbatur egere, quare facili emendatione corrigebam *διαλυθείσης τῆς πρ. τ. Ε. διαφορᾶς*: sed Hermannus, etsi non improbabilis ei videbatur haec suspicio, defendi posse docuit vulgatam monstrans Eurip. Orest. 1695. ed. Pors. *χωρεῖτε νῦν ἕκαστος, οἷ προστάσσομεν, νείκους τε διαλύεσθε.* et Diodor. Sicul.

Excerpt. legatt. 38. fin. *τῇ δὲ τούτου συμφορᾷ τὴν ἰδίαν σωτηρίαν πορισάμενος διεκλύθη τῆς παρὰ τῶν Ρωμαίων τιμωρίας.*

XV. 43. Iphicrates una cum Pharnabazo adversus Aegyptos missus cum audivisset, urbem Memphin defensoribus esse vacuam, suasit Pharnabazo, ut non exspectans alteram exercitus partem, quae remanserat, impetum in eam urbem faceret. Neque tamen persuasit: qua re magnopere iratus Iphicrates *διεμαρτύρατο, λέγων ὡς ἐὰν παρῶσι τὴν ὀξύτητα τῶν καιρῶν, ἄπρακτον ποιήσουσι τὴν πολλὴν στρατιάν*: quae verba vereor vehementer ne sana non sint. Neque enim hoc, opinor, dictitavit Iphicrates, eos maiorem exercitus partem facturos esse *ἄπρακτον* (quod si de ea parte exercitus dictum putetur, eum qua castellum expugnaverant, nec potest aliter intelligi, etiam falsum erit, nam multo minima pars cum Pharnabazo et Iphicrate progressa erat, remanserat major), sed hoc potius, si hanc opportunitatem praetermitterent, nec celeriter rem gererent, omnem expeditionem fore irritam, i. e. *ἄπρακτον ποιήσουσι τὴν ὅλην στρατείαν*, ita enim scripsisse puto Diodorum. Quae suspicio confirmatur etiam eo, quod minime falsus est Iphicrates, sed revera accidit, quod praedixerat, quare Diodorus c. 44. fin. dixit: *ἡ μὲν οὖν ἐπ' Αἴγυπτον στρατεία τῶν Περσῶν ἄπρακτον ἔσχε τὸ τέλος.*

XV. 69. Narrat Corinthios a Boeotis proelio esse victos, Beotorumque aliquot in ipsam urbem introire esse ausos, qua re Corinthios perterritos aedibus sese condidisse, Chabriam vero Atheniensem restitisse solum; is igitur *τοὺς μὲν ἐξέβαλεν ἐκ τῆς πόλεως, πολλοὺς δὲ τῶν Βοιωτῶν κατέβαλεν.* Quae verba aut fallor aut habent aliquid perversi: scilicet iis, quos Chabrias ex urbe eiecerit opponit Diodorus Boeotos, quorum multos idem Chabrias interfecerit. Atqui quos ex urbe eiecit, ii quam maxime et ipsi erant Boeoti, ut modo dixit: *τῶν δὲ Βοιωτῶν διὰ τὴν εὐημερίαν μετεωρισθέντων καί τινων προχείρως τολμησάντων διὰ τῆς πύλης εἰς τὴν πόλιν εἰςβιάζεσθαι.* Opponuntur ergo Boeotis Boeoti, quod nescio an placeat aliis, mihi displicet maximo opere. Quare aut ipse perverse locutus est Diodorus aut vitii quid verba contraxerint necesse est. Ut paucis dicam, pro *Βοιωτῶν* scribendum coniicio *βοηθούντων*, cui emendationi egregie concinunt sequentia. Nimirum res ita gesta est. Pauci Boeotorum in urbem intrant: hos eiicit Chabrias; eiectis alii veniunt auxilio, quorum multos Chabrias interficit. Jam exardent Boeotorum animi omnemque exercitum in aciem educunt, *πᾶσαν τὴν δύναμιν συντάξαντες ἐπῆγον ἐπὶ τὴν Κόρινθον.* Facilem autem esse lapsum librariorum in utroque vocabulo commutando sponte patet, eiusdemque confusionis exem-

pla ex ipso Diodoro peti licet duo: supra XIII. 36. fin. egregie nuper demum a Dindorfio pro vulg. *Βοιωτίαν* correctum est *βοήθειαν*, et XIV. 12. admodum probabile est quod Reiskius pro *Βοιωτοὺς* restituit *βοηθούς*. Ceterum vix est quod moneam recte omnia se habitura verbis ita ordinatis: *πολλοὺς δὲ κατέβαλε τῶν Βοιωτῶν.*

XVII. 4. *τοὺς συνορίζοντας τῶν ἐθνῶν.* — Dindorf.: immo *τὰ συνορίζοντα.*" Miror virum doctissimum immemorem fuisse eius Graecorum moris, quo verba non ad id, quod oratione est expressum, sed ad eam, quam animo informatam habent notionem, solent referre. Qua de re cum a plurimis sit expositum sufficiat unum laudasse Schaeferum ap. Porsonum ad Eurip. Phoen. v. 1730. Quae ratio cum pateat latissime, minime tentandus erat locus libr. XIX. 44. *πλησίον Ἐκβατάνων, ἐν ᾗ τῆς χώρας ἐκείνης ἐστὶ τὰ βασίλεια,* ubi iterum fallitur Dindorfius annotans: immo *ἐν οἷς* vel *ἔνθα.*" Res ipsa intelligi iubet *πόλει.* Pertinet huc etiam XX. 75. extr. *τὰς μάλιστα ταχυναυτούσας τῶν ἠκολουθηκότων ἐξαποστέλλειν,* ubi Dindorfius cum Schaef. scripsit *ἠκολουθηκυιῶν*, haud scio an praeter necessitatem, modo statuatur, scriptorem positi generis feminini immemorem pergere quasi v. *πλοῖον* s. *σκάφος* usus esset, cf. Plut. Cat. min. c. 54. — *τὴν τῶν νεῶν ἡγεμονίαν· ἦσαν δὲ πεντακοσίων μὲν οὐκ ἐλάττους αἱ μάχιμοι, λιβυρνικὰ δὲ καὶ κατασκοπικὰ καὶ ἄφρακτα παμπληθῆ.* Actum agerem plura si adderem.

c. 90. p. med. *εἶχε δὲ καὶ ἡ χώρα ὄφεων πλῆθος* — haec etsi me non fugit aliquo modo defendi posse, tamen addita sunt, quasi serpentes quoque in virtutes, quibus hanc terram eminere modo dixerat, numeraret, ut vel hac de causa non ineptum sit coniicere *εἶχε δὲ καὶ αὕτη ἡ χώρα* etc., nempe haec quoque terra, ut illa, de qua ineunte capite dixerat, serpentum copia abundabat.

XIX. 82. Demetrius proelium commissurus cum Ptolemaeo et Seleuco praecipua cura firmat cornu sinistrum: qua de re postquam Diodorus pluribus exposuit concludit: *τὸ μὲν οὖν εὐώνυμον κέρας οὕτω κατασκευάσας διενοεῖτο τούτῳ κινεῖν τὴν μάχην*: quae verba neminem animadvertisse corrupta esse et leni ac facili emendatione corrigenda, satis mirari non possum. Vertunt autem hoc modo: ita sinistrum cornu instituerat eoque pugnam inceptare in animo habebat. Atqui *κινεῖν τὴν μάχην* ut esset pugnam inceptare neque Diodorus ullo dixit loco nec quantum scio quisquam alius; deinde quod gravius est diserta scriptoris verba, quae mox sequuntur indicant, Demetrium non inceptare voluisse proelium hac militum parte, sed rei summae facere momen-

[illegible] imperatori imperat *φυγομαχεῖν καραδοκοῦντα τὴν δι' αὐτοῦ* [illegible] etc. ut non liceat dubitare pro *κινεῖν* Diodorum scripsisse *κρίνειν*. [illegible] *κρίνειν μάχην* dixit XVII. 18. et XI. 17. *ναυμαχίᾳ κρίνειν τον ἀγῶνα* cf. XVIII. 30. — *ἱππεῖς δὲ πεντακισχιλίους, δι' ὧν τὸν κίνδυνον κρίνειν διεγνώκει.*

c. 93. *πάντες οὖν συνεβούλευον μὴ διακινδυνεύειν πρὸς δύναμιν πολλαπλασίονα καὶ θηρίων πλῆθος, ἔτι δὲ στρατηγὸν ἀήττητον· εὐχερέστερον γὰρ πολλῷ διαγωνίσασθαι κατὰ τὴν Αἴγυπτον, ταῖς δὲ χορηγίαις ὑπερέχοντα καὶ τόπων ὀχυρότητι πιστεύοντα*: immo *ταῖς τε χορ.*

c. 97. *οὔθ' ὕδωρ ἔχουσιν οὔτε σῖτον οὔτε οἶνον οὔτ' ἄλλο τι ἁπλῶς οὐδὲν τῶν παρ' ὑμῖν εἰς τὴν χρείαν ἀνηκόντων*: *τι* auctoritate Reg. 2. et Basil. uncis inclusit Dindorfius. Non assentior: vid. Herodot. VIII. 20. *οὔτε τι ἐξεκομίσαντο οὐδὲν, οὔτε προεσάξαντο*. Xen. Anab. IV. 1. 9. *οἱ δὲ Καρδοῦχοι οὔτε ἄλλο τι φιλικὸν οὐδὲν ἐποίουν*, ubi vid. Kruegerus. Add. quae Hermannus annotavit ab Seidlero allata ad Eurip. Alc. v. 79. de quo loco aliter sentit Schaefer. ad Demosth. T. II. p. 619.

XX. 29 fin. *μετὰ δὲ ταῦτα διὰ τὴν ταραχὴν καὶ τὸν φόβον ἐγκαταλιπόντων αὐτὸν τῶν στρατιωτῶν μόγις σωθεὶς ὑπὸ τῶν Συρακοσίων συνηρπάγη*: sermo est de Hamilcare ab Syracusanis devicto atque capto. Locum ipsum non sanum existimo, ut qui perversam et ineptam habeat sententiam. Nam verba *μόγις σωθεὶς* ut bene dici possint de eo, qui ex vulnerum mortisque periculo vel mediis ex hostibus vix salvus evadit atque incolumis, non videntur dici posse de imperatore ab hostibus capto. Quid enim, cur ille vix a Syracusanis servatus est, cum a nemine nisi ab ipsis periculum immineret Syracusanis, ita ut nihil obstaret quominus facillime, si modo vellent, posset servari. Inde patet, opinor, ineptum esse *μόγις*, nec magis placet *σωθείς*. Ne multa, aliud quid requiri totus nexus, maxime vv. *τὸ μὲν πρῶτον ὑπέστη — συγκινδυνεύειν* et *ἐγκαταλιπόντων αὐτὸν τῶν στρατιωτῶν* demonstrant. Id ego mutatione non ita magna restituendum puto pro *μόγις σώθεις* scribens *μονωθεὶς*, quae coniectura, cum omnibus, quibuscum communicarem, placuerit, pluribus commendare supersedeo. Simili in re Plutarchus dixit *ἔλαθεν ἐν πολλοῖς ἀπομονωθεὶς πολεμίοις* Philopoem. 18.

c. 30. *τὴν τῶν Σαμνιτῶν χώραν ἐπῆλθον δενδροτομοῦντες καὶ πάντα τόπον καταφθείροντες* — malim *πάντα τρόπον*.

Hic ut consisterem loci ac temporis rationes me admonuerunt: quae restant alia opportunitate pertractabuntur.